Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

de verbis domini.

in omel.

exordio inchoantis gratiae usque ad finem extitit. x. et octo annis mulier curva fuit. Aug. Quod ergo significavit decennium in arbore: hoc x. et octo annis in illa muliere. quia ter seni x. et octo sunt. Curva autem erat. sursum aspicere non poterat: quia sursum corda sua cum audiebat. Greg. Omnis enim peccator terrena cogitans. caelestia non requirens. sursum respicere non valet: quia dum desideria inferiora sequitur: a sua rectitudine curvatur. Et hoc saepe videtur: quod sua intermissione cogitatur. Vocavit eam dominus et erexit: quia illuminavit et adiuvit. Vocat enim quandoque sed non erigit: quia plerumque videmus quae agenda sunt: sed opera non implemus. Usitata enim culpa obligat mentem: ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur et labitur: quia ubi diu sponte perstitit: ibi et nolens cadit. Ambr. Corpus autem salvati signum futuri est. quia unusquisque perfunctus lege et gratia: per unam dei corporis singularitatis molestiis eruetur. Cur autem aliud alii indicavit nisi ut ostenderet futurum ut iudaeus et gentilis populus, sitim corporis eius utrisque nidis legis dominica festivitate deponat. Et sic per evocationem duorum populorum ecclesiam salvam faciat. Beda. Filia autem abrahae est anima quaeque fidelis vel ecclesia de utrisque populis ad fidei unitatem collecta. Idem ergo iustitiae est bovem vel asinum solutum a praesepio potum ducere: quod est filiam abrahae a vinculo mortis infirmitatis erigi. Glo. Erubescentibus adversariis et populo gaudente de his quae gloriose fiebant a christo: profectum evangelii consequenter ostendit quibus dei similitudinibus manifestat. Unde dicit.

Dicebat ergo. Cui simile est regnum dei. et cui simile esse existimabo illud? Simile est grano sinapis. Ambr. Alio loco granum sinapis legitur: ubi confertur. Ergo si regnum caelorum sicut granum sinapis est et fides sicut granum sinapis: fides est utique regnum caelorum quod intra nos est. Granum quidem sinapis res est vilis et simplex. Si teri caeperit: vim suam fundit. Et fides primo simplex videtur. Si atteratur adversis: gratiam suae virtutis effundit. Grana sinapis martyres nostri. Habebant odorem fidei sed latebant. Venit persecutio contriti sunt gladio. per totum terrarum orbem gratiam sui sparserunt martyrii. Ipse et dominus granum est sinapis. Atteri noluit ut diceremus: christi bonus odor sumus. Seminari voluit velud granum sinapis. Quod acceptum homo misit in ortum suum. In orto enim christus captus et sepultus est. Ubi et resurrexit et factus est arbor. Unde sequitur. Et factum est in arborem magnam. Dominus enim ut granum est cum sepelitur in terra: arbor cum elevatur ad caelum. Est et arbor mundum obumbrans. Unde sequitur. Et volucres caeli requieverunt in ramis eius. Potestates caelorum et quaeque spiritualibus factis evolare meruerunt. Ramus est petrus. ramus est paulus. in quorum sinus et quosdam disputationum amplexus: qui erant longe a sanctis, divortia remigiis advolamus. Ergo seminia in ortum tuum christum. Ortus utique locus est plenus florum in quo gratia tui operis efflorescat et multiplex odor variae virtutis exalet. Ibi

pis. quod acceptum homo misit in ortum suum. et crevit et factum est in arborem magnam. et volucres caeli requieverunt in ramis eius. Et iterum dixit. Cui simile aestimabo regnum dei? Simile est fermento quod acceptum mulier abscondit in farinae sata tria. donec fermentaretur totum.